

det: *Propter quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per se ipsum factum, quod est nudum operare, peccatum est, sed de talis opere non in Domino gloriarī, solus impius negat, esse peccatum.* Ex quibus evidens est, non sufficere Aug. ut agens non peccet, quod ejus opus sit ex objecto bonum, sed insuper requiratur, ut alia ulteriore relatione referatur in Deum; quæ alia esse non potest nisi virtualis explicita.

Antequam respondeam, observo, S. Aug. ex his principiis inferre contra Julianum, opera Infidelium esse peccata, & eorum virtutes vitia: si ergo Aug. ista sic intellexit, ut necessaria sit relatio explicita, sine qua homo opus ex objecto bonum agens peccat, ut intelligunt & voluit Adversarii, debent admittere hanc illationem, scilicet, omnia opera infidelium sunt peccata, esse ex mente Aug. aut fatentur, necesse est, se non intelligere legitimum sensum Aug. Quis sit autem S. Doctoris sensus legitimus, in bona luce posuimus diss. 3. de Gratia a. 3. §. 2. in majori nostro Opere. Itaque nunc

R. 1. Aug. hæc verba, *non recto fine, non in Domino gloriarī, & similia*, non sumere contradictorie, seu negativè, sed contrariè; quasi diceret: in alio quam in Domino gloriarī, & perverso fine agere, peccatum est; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur. Quo sensu in Scriptura 1. Reg. 18. Saul dicitur non rectis oculis aspexisse Davidem. Itaque Aug. interpretatur S. Th. & Estius, ut ostendimus loco cit. de Gratia. Idque manifestum est ex ipso Aug. eodem cap. 3. cit. „*Quia*, inquit, non fideli, sed infideli, hoc est, STULTA ET NOXIA, faciunt voluntate. Ibid. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt: bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed ille, qui hoc facit, si AMANDO GLORIAM HOMINUM magis, quam Dei, facit, non bene bonum facit; quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit; absit enim ut sit, vel, dicatur voluntas bona, quæ in ALIIS VEL IN SEIPSA, non in Domino, gloriarī.

Ad observationem præmissam responsioni obmutescit Adversarius, cum tamen sit gravissimi ponderis: contra verò responsionem sic arguit. Nunquam admisit Julianus, quod opera ad malum finem relata essent bona: ergo desuper non fuit controversia inter Aug. & Julianum. Prob. Ant. Dicit Aug. Juliano: *Jam cernis, ut arbitror, consequens esse ut vera sit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum.* Ex quibus patet, quod, virtutes ad malum finem relatas esse veras virtutes, sit consequens quod Aug. deducit ex principio Juliano, non doctrina Juliano: ergo. R. N. Ant. Ad Probat. D. Virtutes ad malum finem relatas esse veras virtutes est consequens, quod Aug. deducit ex principio Juliano, & quod negabat Julianus, N. & quod non negabat Julianus, quodque eum admittere supposebat Aug. C. & N. Conseq. Patet tunc ex textu Aug. in Resp. nostra laudato, ubi impugnando Julianum ostendit, opera facta ex malo fine non esse bona. Ut quid enim in hoc desudasset Aug. si non admisisset Julianus esse bona? Tunc ex ipsis verbis objectis & sequentibus. Dicit enim Aug. „*Jam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse, ut vera sit virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum...* ergo virtutes istæ tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanæ veræque virtutes, tibi tamen videntur & pulchræ, ut (verba sunt Juliano) nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium... Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, etiam cum DOMINAM repereris AVARIAM.“ Sic autem Aug. non potuisset alloqui Julianum, nisi supponendo, eum admittere consequens, quod ex illius principio deducebat. Sit exemplum: v. gr. Molinista arguens contra Thomistam, aut Augustinianum, ex positione gratiæ per se efficaciæ destrui liberum arbitrium, non posse dicere Thomistæ, vel Augustiniano: *Jam cernis, ut arbitror, consequens esse, ut gratia per se efficax destruat liberum arbitrium: ergo destructio liberi arbitrii per gratiam ex se efficacem tibi videtur dogma verum: ex quo te tanta absurditas sequitur, ut cogaris appellare dogma verum, quod est hereticum.* Non posset, inquam, sic loqui Molinistæ, nisi supponendo, Thomistam, aut Augustinianum admittere consequens, scilicet ex positione gratiæ per se efficaciæ destrui liberum arbitrium. Itaque in nostro casu. Insuper S. Th. ut jam dixi, intelligit sicuti nos Augustinum. En ejus verba 2. 2. q. 23. a. 8. ad 1. Aug. dicit in 4. contra Julianum, quod actus Infidelis, in quantum est Infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operat, vel aliquid hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis.

Ast inquit Adversarius, S. Th. non dicit concertationem inter Aug. & Julianum fuisse de operibus bonis, ad malum finem relatis. R. S. Th. dicere, Aug. scribentem contra Julianum loqui de operibus bonis ad malum finem relatis, quod est dicere S. Aug. disputasse contra Julianum de operibus relatis ad malum finem, præsertim si attendatur ad ea, quæ dixi in responsione. Sed neque hoc solum dixit S. Th. in eadem resp. ad 1. loquens de actu Infidelis procedente ex bono naturæ, non relato ad malum finem, non dicit, quod sit malus, sed bonus ex suo genere, non tamen perfectè bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem; quæ est secunda responsio nostra, ut mox videbimus. Sicque S. Th. duplici membro suæ responsionis concludit totam concertationem inter Aug. & Julianum, quæ fuit & de actibus ex objecto bonis Infidelium ad malum finem relatis, qui idè sunt mali; & de istis actibus ad malum finem non relatis, qui non sunt perfectè boni. Sancto Thom. quod interpretationem Aug. adjunxerit celeberrimum Estium Doctorum Lovaniensem, de quo silet Adversarius.

Denique nostram interpretationem esse legitimam, ultrius constat ex hoc, quod Aug. dicat in objectione, quod solus impius neget esse peccatum non gloriarī in Domino de elemosyna. Si enim non sumat S. D. non gloriarī in Domino contrariè, pro eo, quod est in alio, quam in Domino gloriarī & ex pravo fine agere, sed contradictorie, pro eo quod non est referre explicitè in Deum, ut volunt Adversarii, sequitur, quod omnes, nobiscum sentientes, hoc est, ferme omnes Doctores Catholici, qui negant esse peccatum non referre virtualiter explicitè opus bonum in Deum, dicendi sint impii; quod non admittunt Adversarii.

Singularis nobis videtur responsio Adversarii ad hæc Instantiam. Dicit, quod tempore Aug. nullus Catholicus negabat obligationem relationis explicitæ, sed omnes Catholici in eam sententiam conspirabant, & idè non dicit Aug. quod esset impietas illam negare, sed quod solus impius illam neget; undè non sequitur, quod nunc dicendi sumus impii. Fallor, si hæc responsio non videatur omnibus, exceptis fortè Lovaniensibus, paradoxum. Incredibile namque est, omnes Scholas Catholicas, excepta, quod sciam Lovaniensi, recessisse a tot annis in materia præcepti divini a sententia, in quam tempore Aug. omnes Catholici conspirabant, & in errorem oppositum lapsas esse, absque eo quod vel Ecclesia, vel summi Pontifices, vel Episcopi reclamaverint. Jucundum foret scire, ubi, quando, quo Actore iste error primùm irrepit in Scholas catholicas.

R. 2. ad principale argumentum. Opera, quæ sunt sine fide per dilectionem operante, ex recto tamen fine naturali, vocari ab Aug. peccata lato sensu, sumendo peccatum pro omni eo, quod a fine deficit, & cui deest plenitudo suæ perfectionis, seu ut dicit S. Thom. prius cit. pro non perfectè bono, qualia sunt hujusmodi opera, quæ cum non fiant ex charitate, sunt sterilia ad Regnum Cælorum. Eodem sensu dicit, virtutes Philosophorum non esse veras virtutes, sed vitia; quia, licet possint esse, etiam rarè, sine malo fine, ut admittit Aug. lib. de Spiritu & Litt. non tamen conducunt ad vitam æternam. Loquitur enim Aug. de virtutibus & bonis operibus, non moralitè & secundum Philosophos, sed prout sunt meritoria Regni cælestis, seu ut dicit in eodem cap. 3. *Per quæ solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducit.*

Contra hæc resp. sic arguit Adversarius. Julianus concedebat, sua bona opera non esse meritoria vitæ æternæ: ergo Aug. non agit de illis, ut meritoris. R. D. Conseq. Non agit de illis, ut meritoris, id est, ut probet non esse meritoria, C. Id enim concedebat Julianus. Ut probet, non debere dici absolute bona, N.

Inst. Si S. Aug. fuisset nostræ sententiæ, Julianus potuisset illi respondere ipsa opera posse aliquo sensu dici bona; id enim nos dicimus. R. Id etiam concedit Julianus ab Aug. in fine capituli, ut mox videbimus. Et numquid ipsi Adversarii concedunt, hujusmodi opera esse aliquo sensu bona?

Reponit Aug. ibid. dicit: *Fieri non potest, ut steriliter boni sumus:* ergo, si ista opera sunt bona, sunt meritoria. R. D. Conseq. Si ista opera sunt bona bonitate supernaturali ad sensum Aug. sunt meritoria, C. Si sint bonitate morali tantum, Subdistinguo, sunt meritoria mercedis temporalis, C. æternæ, N.

Verum rem perentorie dirimit Aug. ipse in fine hujus c. 3. concludens totam suam Dissertationem cum Juliano verbis sequentibus, quæ vix attingit Adversarium; *Breviter*, inquit S. D. *accipe, ne forte cum in rebus ipsis tam-*

tum erres, quantum errari plurimum potest, videat tecum certare de verbis... Quoniam saltem concedis, opera Infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non eos ad salutem sempiternam, regnumque producere, Scito: nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducit. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videntur tibi vere virtutes, videantur opera bona, & sine ullo peccato facta... dicantur secundum de hujusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit, quod apud Deum steriles sint, ac per hoc non bonæ.“ Quibus verbis luce clarius patet, S. Aug. hoc unum contendere contra Julianum, opera & virtutes Infidelium, quæ non referuntur ad malum finem, hoc sensu non esse bona, quia ab ordine vitæ æternæ deficient, eoque sensu dici peccata & vi-

ta, quia eis deest suæ perfectionis plenitudo: hoc verò concessio, permittit ut secundum alium sensum dicantur bona & virtutes. Quædam leviora, quæ ex sæpe cit. cap. 3. opponuntur, omitto, quia ex dictis facile solvantur.

Tandem hoc præceptum referendi explicitè omnes actiones suas in Deum concludit & infert Adversarius non esse intolerabile, ut objeceram, ex eo quod consilium de eadem relatione, me concedente, non sit intolerabile. At fallitur vir eruditus. Potest enim consilium de re difficili esse tolerabile, & præceptum de eadem re intolerabile, quia adstringit præceptum, non consilium. Sic consilium de castitate perpetua, de paupertate & obedientia religiosa, est tolerabile; præceptum autem foret intolerabile.

Plura alia, hæc Questionem spectantia, & hic omissa, requirenda sunt in prima & secunda ejus editione typis Impensis. Hic enim mihi una mens fuit respondere R. P. MAUGIS.

DISSERTATIO V.

DE ELEEMOSYNA.

Div. Thom. Quæst. 32.

Postquam Auctor egit de ipsa charitate & præcipuo ejus actu, qui est dilectio, agit de ejus effectibus tam interioribus, quam exterioribus. Interioris tres assignat, scilicet gaudium, pacem & misericordiam. Gaudium spirituale, de quo loquitur, (Hic q. 28. art. 1. o.) est quedam dolectatio de Deo: est affectus charitatis; charitas enim est amor; gaudium autem oritur ex amore, vel propter præsentiam rei amate, vel quia bene est amico dilecto. Quando ergo est de bonis Dei; provenit ex eo, quod Deum diligamus. Pax (Hic q. 29. art. 1. & 3. o.) non solum dicit unionem voluntatum in diversis, sed etiam concordiam omnium appetituum, qui sunt in eodem. Hæc pax causatur a charitate; quia charitas facit, quod omnes appetitus nostri, tam inferior, quam superior, inter se consentiant, quatenus seruntur in unum, scilicet Deum & ipsi subjiciuntur. Facit etiam, quod consentiant cum voluntate proximi, amando illum & ipsi bonum volendo sicuti nobis.

Misericordia (Ibid. q. 30. a. 1. o.) definitur ab Aug. 9. de Civit. c. 5. *Aliena miseria in nostro corde compassio, seu tristitia, qua utique, si possemus, subvenire compellimur.* Dicitur enim misericordia ex eo, quod aliquis habet miseriam cor super miseria alterius; quæ prius cit. pro non perfectè bono, qualia sunt hujusmodi opera, quæ cum non fiant ex charitate, sunt sterilia ad Regnum Cælorum. Eodem sensu dicit, virtutes Philosophorum non esse veras virtutes, sed vitia; quia, licet possint esse, etiam rarè, sine malo fine, ut admittit Aug. lib. de Spiritu & Litt. non tamen conducunt ad vitam æternam. Loquitur enim Aug. de virtutibus & bonis operibus, non moralitè & secundum Philosophos, sed prout sunt meritoria Regni cælestis, seu ut dicit in eodem cap. 3. *Per quæ solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducit.*

Contra hæc resp. sic arguit Adversarius. Julianus concedebat, sua bona opera non esse meritoria vitæ æternæ: ergo Aug. non agit de illis, ut meritoris. R. D. Conseq. Non agit de illis, ut meritoris, id est, ut probet non esse meritoria, C. Id enim concedebat Julianus. Ut probet, non debere dici absolute bona, N.

Inst. Si S. Aug. fuisset nostræ sententiæ, Julianus potuisset illi respondere ipsa opera posse aliquo sensu dici bona; id enim nos dicimus. R. Id etiam concedit Julianus ab Aug. in fine capituli, ut mox videbimus. Et numquid ipsi Adversarii concedunt, hujusmodi opera esse aliquo sensu bona?

Reponit Aug. ibid. dicit: *Fieri non potest, ut steriliter boni sumus:* ergo, si ista opera sunt bona, sunt meritoria. R. D. Conseq. Si ista opera sunt bona bonitate supernaturali ad sensum Aug. sunt meritoria, C. Si sint bonitate morali tantum, Subdistinguo, sunt meritoria mercedis temporalis, C. æternæ, N.

Verum rem perentorie dirimit Aug. ipse in fine hujus c. 3. concludens totam suam Dissertationem cum Juliano verbis sequentibus, quæ vix attingit Adversarium; *Breviter*, inquit S. D. *accipe, ne forte cum in rebus ipsis tam-*

tantum ejus effectus. Sicut dilectio charitatis (Ibid. art. 2. o.) se extendit ad omnes, sic omnis est beneficiendum, pro loco tamen & tempore; quia actus virtutum sunt secundum debitas circumstantias limitandi. Inter eos (Ibid. art. 3. o.), quibus est beneficiendum, observandus est ordo, sicut supra dictum est de ordine charitatis servando. De Elemosyna verò & correptione fraterna sunt speciales difficultates expendenda. Unde sit

ARTICULUS I.

Quid & quomplex sit Elemosyna?

Elemosyna græcè idem est, ac latine misericordia; (Hic q. 32. art. 1. o.) in communi tamen usu misericordia sonatur pro virtute seu habitu, & Elemosyna pro actu. Definiri potest: *Opus, quo datur aliquid indigentibus ex compassione propter Deum.* In qua definitione Elemosyna non sumitur, ut sæpe solet, pro re data, sed pro actione dandi. Dicitur propter Deum, quia hic agit de Elemosyna christiana, prout distinguitur a Philosophica, quæ fit ab Ethnicis, vel quovis alio, sine ordine ad Deum.

Dico 1. (Ibid. Elemosyna est actus charitatis, mediante misericordia: quia exterior actus ad illam virtutem pertinet, ad quam pertinet motivum ad agendum hujusmodi actum; atque motivum ad dandum elemosynam est, ut subveniant necessitatibus patienti, quod pertinet ad misericordiam, ut dictum est: ergo dare Elemosynam est actus misericordiae: & quia misericordia est effectus charitatis, ut etiam diximus, ex consequenti dare Elemosynam est actus charitatis, mediante misericordia, ideoque est actus elicitus a misericordia & imperatus a charitate. Quod si fiat Elemosyna ex alio motivo, puta ad satisfaciendum pro peccatis, erit actus imperatus a virtute poenitentiae; si in cultum Dei, erit actus imperatus a Religione.

Dico 2. (Ibid. a. 2. o.) Elemosynæ sunt duplicis generis, corporales & spirituales, juxta duplicem miseriam, seu defectum hominis, corporis scilicet & animæ. Septem sunt Elemosynæ corporales (Ibid. in arg. 1.) scilicet pascere esuriëntem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum & sepelire mortuum, quæ in hoc versu continentur.

Visto, potu, cibo, redimo, rego, colligo, condo. Sunt (Ibid.) etiam septem Elemosynæ spirituales, scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendentem, portare onerosos & graves, & pro omnibus orare, quæ etiam hoc versu continentur.

Consulo, castiga, solare, remitte, fer, ora. Ita tamen, quod sub ly Consulo intelligantur consilium & doctrina.

Dices. Christus Matth. 25. recensens opera misericordiae non meminit sepulture; nec videtur quid sepultura juvet mortuum. ergo. R. ad 1. Ibid. ad 1. Christum non meminisse sepulture, 1. quia voluit enumerare ea, quæ sunt

sunt evidentes necessitatis. 2. Quia homines solent esse potius nihil & superflui, quam parci in sepulchris mortuorum. 3. Quia sepultura est minimum inter opera misericordiae, nec impenditur homini, sicut alia opera misericordiae, sed tantum ejus corpori mortuo. Ad 2. (Ib.) sepultura juyat mortuum, i. ad hoc ut vivat in memoria hominum, cujus honor deonestatur, si insepultus remaneat. Unde quandoque, in punitionem delicti decernitur carentia sepulturae, aut abjectio corporis: quod est signum, carentiam sepulturae pertinere ad quoddam malum & miseriam hominis. 2. Quia homines solent esse solliciti, ut corpora sua honeste post mortem tractentur, cui sollicitudini piorum affectus conformari debet post ejus mortem. 3. Quia honor sepulturae redundat in parentes & propinquos defuncti. 4. Quia occasione sepulturae, saltim in piis locis, defuncti participat effluunt suffragiorum, quae ibi solent fieri pro mortuis. Ceterum sepulturam mortuorum jure annumerari inter opera misericordiae, constat ex libr. Tobiae c. 1. 2. & 12. Ex 2. Reg. c. 2. Ex 3. Reg. c. 13. Ex c. 22. Jerem. Et ex 2. Machab. c. 5.

Dico 3. (Ibid. art. 3.) Eleemosyna spirituales, simpliciter loquendo, sunt potiores corporalibus. 1. Ratione rei exhibitae, scilicet doni spiritualis, quod est nobilior corporali. 2. Ratione ejus, cui subvenitur, scilicet spiritus, qui est nobilior corpore. 3. Quantum ad ipsos actus, quibus subvenitur proximo; quia spirituales sunt praestantiores corporalibus. Per accidens tamen & in particulari casu praefrendenda est eleemosyna corporalis spiritualis sic potius pascendus est fame moriens, quam docendus, qui potest alio tempore doceri.

ARTICULUS II.

Utrum dare Eleemosynam sit in precepto, & quando?

§. I. Notanda, & supponenda.

Notandum 1. preceptum Eleemosynae esse affirmativum; & ideo, licet semper obliget, non obligat tamen pro semper, obligatio autem ejus a duobus pendet, & metienda est a necessitate aliena & facultate propria; nimirum ex parte dantis, ut habeat bona superflua, ex parte recipientis, ut patiatur aliquam necessitatem. Unde notandum 2. ex parte recipientis, triplicem distingui necessitatem, extremam, gravem, & communem. Extrema est, cum vita proximi evidenter periclitatur, ni succurratur: nec expectandus est articulus mortis, in quo non amplius prodesset Eleemosyna. Necessitas gravis est, quando mors non equidem evidenter imminet, sed probabiliter, timetur; aut evidenter imminet aliquod notabile damnum minus morte, ut gravis morbus, abscissio membri, durus & diuturnus carcer, amentia gravis, dilatio status, sic ut quis cogatur miseram vitam agere, hominibus suae conditionis indignam. Communis necessitas est, quam patiuntur pauperes communes ostiatim mendicantes, qui quamvis indigeant, & non nisi necessaria vitae petant, quia tamen a multis petunt, & accipiunt, eorum necessitas non censetur gravis, sed communis. Notandum 3. (Ibid. art. 6. a.) ex parte dantis bona, quae habet, posse esse illi dupliciter necessaria & superflua, scilicet quantum ad vitam, & quantum ad statum. Necessaria vitae sunt, quae requiruntur necessario ad conservandam vitam suam & suorum, quorum cura ipsi incumbit, ut parentum, uxoris, & liberorum: ad vitam autem conservandam necessario requiritur victus, amictus, & domicilium. Reliqua bona praeter ipsa sunt superflua vitae. Necessaria statui sunt, sine quibus quis non potest convenienter vivere, secundum statum & conditionem suam. Unde bona superflua statui sunt sine quibus potest decenter suum & familiae statum conservare. Notandum 4. (Ib. & in 4. d. 15. q. 2. art. 2. q. 1.) hanc decentiam status non consistere in aliquo indivisibili, quia multis homo additis non excedit status sui conditionem: multis etiam subtractis conditio sui status decenter servatur; & posset tantum addi, quod esset ultra conditionem sui status, & tantum diminui, quod non servaretur honestas, vel sui status decentia; & hoc quidem sermone determinari non potest, quia de singularibus non est judicium, sed statum in hoc prudentiae arbitrio & discretionis, quae docet de omnibus. Ceterum caveant nobiles & potentes, ne, secundum abusum hodierni temporis, summum quemque luxum reputent esse de ratione & decentia status sui. Item in iudicando necessario status, (Hic a. 3. ad 3.) non est tantum habenda ratio praesentis temporis, sed etiam futuri; quod enim nunc non est necessarium, potest prudenter judicari fore postea ne-

cessarium, ut pro tempore senectutis, belli imminens, pro educandis & dotandis liberis, pro decente statu, cuius tamen spes sit probabilis. Sed cavendum, ne ex ambitione, aut ex avaritia fingantur necessitates futuae, ubi nulla est illarum probabilitas, ut si caecus heres, si domus combueretur, &c. Notanda sunt singulariter verba Auctoris: *Non oportet, inquit, quod consideret omnis casus, qui possunt contingere in futurum, Hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. sed debet disjunctari superfluum & necessarium secundum ea, quae probabiliter & ut in pluribus occurrant.* Alioquin omnia semper forent necessaria, & nulla unquam in divitiis essent superflua, quod damnatum est ab Innocentio XI. in hac propositione: *Vix in saecularibus viventes, etiam in Regibus, superfluum statui.* Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. Unde in his tam pro praesenti, quam pro futuro tempore vix timoratus consulat directorem prudentem & doctum, & ejus stet iudicio. Nulla enim alia regula certior hac in re statui potest. His notatis,

Suppono 1. (Ib. a. 4. o.) Eleemosynam esse maxime in consilio; quia, licet secundum substantiam considerata habeat tantum effectum corporalem, attamen habet effectum spirituales tam ex parte motivi, quam ex parte recipientis, qui inde inducitur ad orandum pro suo benefactore. Ex parte autem motivi est, non secus ac alia opera bona, meritoria, imperatoria, & satisfactoria, sicque specialiter commendatur in Scripturis, Matth. 25. *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: Esurivi enim, & dististis mihi manducare.* Eccli. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & haec pro te exoravit ab omni malo,* id est, ut libereris ab omni malo. Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Et Christus ipse Luc. 11. *Quod superest, dato eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Haec tamen ultima verba non sic intellige, quasi sola eleemosyna sine penitentia & charitate sufficiat ad remissionem peccatorum; sed Christus ibi volebat monere Phariseos, ut darent eleemosynam secundum ordinem charitatis, incipiendo a semetipsis, quod fit per fidem, dilectionem, & penitentiam, restitutionem ablatum, & superflui erogationem, quomodo eleemosynas facere non curabunt. Similiter intellige illud Tobiae 12. *Ipsa purgat a peccato, & facit invenire misericordiam,* quatenus scilicet procedit ex charitate, & Deum specialiter movet, ut miseretur, & det auxilia acruata ad conversionem ei, qui sui proximi miseretur, ad idque excitatur precibus eorum quibus fit eleemosyna.

Suppono 2. (Ib. a. 6. o.) Neminem teneri dare eleemosynam, etiam in extrema necessitate, de iis, qui sunt suae & familiae vitae necessaria, nisi persona extremam patientem necessitatem sit absolute necessaria bono communi. Ratio primi est; quia plus homo tenetur diligere se & suos, quam extraneos. Ratio secundi est; quia bonum commune est preferendum privato. Neque tamen iude inferas, hominem non posse de necessariis ad suam vitam facere eleemosynam patientem extremam necessitatem; quamvis enim id, quod diximus ex Auctore, sit verum per se, & spectando praesens vitam & vitam; secus tamen, si fiat ex amore virtutis, ut probavimus Dissert. praeced. art. 3. Neque hoc est magis subtrahere sibi vitam, quam si ageretur de persona bono communi necessaria. Nec refert, quod S. Th. unum tantum casum referat, in quo id sit licitum, scilicet cum periclitatur persona necessaria Ecclesiae, vel Reipublicae; tum quia voluit excipere casum certum, de nostro autem disputatur; tum quia voluit excipere casum, in quo non tantum liceret, sed etiam oporteret dare eleemosynam de necessario vitae, & hic unus est, quem proposuit. In nostro enim casu, quamvis id sit licitum, non tamen est necessarium; imo nec licitum, si ageretur de necessariis ad vitam suorum.

§. II. Resolvitur Questio.

Dico 1. (Ib. art. 1. o.) Dare eleemosynam est in precepto naturali & divino positivo. De precepto naturali constat ex hoc principio generali legis naturae: *quae cumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis;* atqui nullus est in vera necessitate positus, qui non velit, ut sibi subveniatur ab habente facultatem: ergo. Ex quo inferes, nec ipsos indideles eximi ab obligatione dandi eleemosynam. Quantum ad preceptum divinum positivum, constat ex Scripturis. Prov. 21. dicitur: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Eccli. 4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne avertas a paupere.* Et c. 29. *Propter mandatum assumi pauperum, & propter in-*

inopiam ejus ne dimittas eum vacuum (Ibid. in arg. s. c.) Sed praecipue Christus Matth. 25. *Ita maledicti in ignem aeternum, esurivi enim, & non dististis mihi manducare.* Nullus autem damnatur, nisi propter omissionem actus, qui fuit ei praecipuus.

Prob. ratione: (Ibid. o.) Cum dilectio proximi sit in precepto, necesse est, omnia illa cadere sub precepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur: atqui ad dilectionem proximi pertinet ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundum istud 1. Joann. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Ad hoc autem, quod velimus & operemur bonum alicuius, requiritur, quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynam: ergo eleemosynam largitio est in precepto.

Dico 1. Juxta Scripturam videtur, quod dare eleemosynam sit tantum in consilio. Sic Dan. 4. *Consilium meum Regi placeat: Peccata tua eleemosynis redime.* Et Apost. 2. Cor. 8. cum hortatur Corinthios ad dandam eleemosynam, ait: *Non quasi imperans dico; & postea: consilium in hoc do:* ergo. R. 1. (Ib. ad 1.) Quod, cum preceptum eleemosynae sit affirmativum, non obliget pro semper, & ideo quandoque est tantum in consilio. 2. Prudenter aliquando consulitur ab homine id, quod est a Deo praecipuum, quia horantur & consulendo saepe plus obtinetur, quam imperando. Et ita Daniel Nabuchodonosor, & Apostolus Corinthiis consilium dabunt de eleemosyna; ita ut esset consilium hominis, & praecipuum Dei. Quantum ad id, quod Auctor in hac Responsione dicit, quod Daniel loquebatur Regi, qui non erat legi Dei subjectus, non loquitur de lege dandi eleemosynam, sed de lege colendi unum verum Deum; cui legi naturali, quamvis omnes subiciantur hoc sensu, quod illam debeant acceptare, non tamen hoc sensu, quod illam acceptaverint, & hoc ultimo sensu dicit Auctor, quod Nabuchodonosor non erat legi Dei subjectus. Quapropter Daniel id, quod ad hanc legem pertinebat, prudenter proponebat per modum consilii.

Dico 2. Omnia praepcepta naturalia ad praepcepta Decalogi reducuntur; atqui inter illa nihil continetur de erogatione eleemosynae: ergo. R. N. Min. (Ibid. ad 4.) Reducitur namque omnis subventio proximi ad praepceptum de honoratione Parentum; quia nomine honoris intelligitur in Scripturis etiam subministratio necessarium, ut 1. Tim. 5. *Viduas honora,* scilicet ministrando eis eleemosynas ex bonis communibus Ecclesiae, ita ut, quae illis fraudarentur, dicerentur, despicit Act. 6. v. 1. Nec obstat, quod Parentes tantum nominentur, cum enim inter proximos primum locum obtineant, nomine Parentum, potest intelligi omnis proximus.

Dico 3. Quilibet, cum sit suorum honorum dominus, potest illa retinere, & ad quem voluerit usum expendere: ergo non tenetur ea erogare in eleemosynas. R. D. Ant. (Ib. ad 3.) Potest illa retinere salva justitia, C. Salva charitate. N. Ad hunc sensum, D. Conseq: ergo non tenetur ex justitia ea erogare in eleemosynas, C. Ex charitate. N. Sic enim habet suorum bonorum proprietatem, ut in certis casibus teneatur ex charitate aliorum usum concedere proximo. Unde Basilii in serm. 1. ad divites avaros dicit: *Est panis famelicis, quem tu tenes, quid tunicam, quam in arca conservas, discalceati calcens, qui apud te marcescit, indigentis argentum, quod tu possides inhumatum.* Ex hac Conclusionem sequitur, quod sub mortali teneatur, facere eleemosynam patienti extremam necessitatem ex bonis tam naturae, quam statui superfluis; quia, cum istud praepceptum in aliquo casu obliget, nullus est certior, quam ubi est necessitas extrema ex parte recipientis, & sunt superflua naturae & statui ex parte dantis. An autem in aliis casibus obliget?

Dico 2. De superfluis naturae, etsi necessariis statui, tenetur sub mortali facere eleemosynam patienti extremam necessitatem. Est communis. Prob. 1. Ex c. 3. Luc. ubi Christus dicebat turbis: *Omnia arbor non faciens fructum bonum exciditur & in ignem mittitur. Et interrogabit eum Turba: quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter. Ex prioribus verbis hujus textus patet, hic agi de praepcepto rigoroso, & non solum de consilio. Patet ex posterioribus, nos teneri succurrere extremis indigentibus, etiam de necessariis ad statum, prohi debet censi secunda tunica. Unde Hieronymus Ep. 130. ad hac verba: *Quidquid, inquit, corpori nostro sufficere potest, & humane succurrere imbecillitati, hoc una appellanda est tunica; & quidquid in praesentibus alimentis necessarium est, hoc unius diei victus appellatur ... si plus habet. Biluati. Secunda Secunda.**

bet, quod tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitoricem esse te noveris. S. Gregorius hom. 20. in Evang. *Minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiam ea, quae sibi sunt necessaria, partitur.* Hoc etiam pertinet illud solemne Ambrosii: *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti.*

Prob. ex S. Th. de cujus mente quidam dubitant. S. Doctor in 4. d. 15. q. 2. a. 1. q. 4. o. cum dixisset duplicem necessitatem, primam, quam vocat absolutam, & secundam, quam vocat conditionatam, quae est, inquit, cum quis indiget aliquo ad sui status decentem conservationem, subdit: *Preceptum legis obligat, quod etiam necessitati extraneorum absolute primo subveniatur, quam necessitati propriae vel propinquorum conditionatae. Et ideo dicitur communiter, quod dare eleemosynam de superfluo cadit in precepto, & sic dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. Dare autem de eo, quod est necessarium necessitate secunda, non autem de eo, quod est necessarium necessitate prima, quia hoc esset contra ordinem charitatis.* Quibus verbis aperte docet S. Doctor, nos teneri extreme indigenti subvenire, non de necessariis ad vitam, sed de necessariis ad statum. Addit ad 2. *Quandò alius est in statu extremae necessitatis, efficiuntur sibi omnia communia. Unde, etsi per violentiam, vel furtum acciperet, nec peccaret.*

Dico 3. S. Th. hic a. 6. scribit, quod, quando occurreret extrema necessitas alicuius personae privatae, vel etiam aliqua magna necessitas Reipublicae: *In his casibus LAUDABILITER praetermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret.* Quibus verbis videtur docere S. Th. esse tantum consilii & non praepcepti, dare eleemosynam de necessariis status pauperi extreme indigenti: ergo. R. N. Min. Quia etiam laudabiliter fit id, quo praepceptum adimpletur. Ideo autem hac forma loquendi usus est S. Th. quia prius dixerat, quod *INORDINATUM esset, si aliquis tantum sibi de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundum proprium statum & negotia occurrentia.* Ab hac autem inordinatione excipit tres casus: 1. mutationem status, ut si quis fiat Religiosus; 2. quando facile resarciri potest detrimentum status; 3. quando occurrit extrema necessitas alicuius privatae personae, vel magna necessitas Reipublicae. Et dixit: *elargitionem necessariam statui in his tribus casibus non fieri inordinatam, ut ante dixerat, sed laudabiliter.* Sic ergo loquitur, non quia vult negare eam esse in praepcepto pro ultimo casu, sed ut ostendat non esse inordinatam & illicitam, sicut servet antithesim. Neque etiam poterat dicere simpliciter, *In his casibus esse praepceptum;* quia non omnes, quos excipit, cadunt sub praepcepto. Insuper idem censet de extrema necessitate privatae personae, ac de magna necessitate Reipublicae: constat autem in ejus principiis, necessarium status esse exponendum pro magna necessitate Reipublicae. Denique ex textu dubio & obscuro nihil evincit potest contra textum positivum & apertum, qualem proculimus in probat. Conclusionis.

Prob. 3. Conclusio ratione. 1. Secundum ordinem charitatis debemus plus diligere vitam proximi, quam status nostri decentiam: ergo. 2. Qui est in extrema necessitate potest ab altero surripere, quae sunt ipsi superflua quoad vitam, etsi necessaria quoad statum, nec quisquam potest jure illum impedire; quia, ut superius dicebamus ex Auctore, in extrema necessitate omnia sunt communia: ergo tenebatur alter illi dare. Neque tamen ex hac Conclusionem inferas, divitem, aut nobilem teneri se a suo statu deficere, vel ingentem pecuniam summam, puta millia aureorum, etsi suo statui non omnino necessaria, expendere pro salvanda vita unius privati, in extrema necessitate positi: 1. Quia, licet vita hominis secundum se sit pretiosior alterius statu & toto censu; in ordine tamen ad bonum publicum magis valet magna bonorum, seu pecuniarum quantitas, quam vita unius privati. Quia nemo tenetur arctius vitam proximi, quam suam conservare; nullus autem tenetur ad vitam suam conservandam sic opes effundere, ut sanus, vel liber factus miser evadat; id enim moraliter morti comparatur: neque etiam tenetur ingentem pecuniam summam expendere pro comparandis sibi exquisitissimis medicamentis: ergo a fortiori ad haec non tenetur pro altero. Itaque ordinariis mediis praecipit charitas succurrere, non extraordinariis unde in his casibus opus est consilio viti prudentis, qui, attentis circumstantiis, dicat, quantum quis de suo statu minuire & de superfluo dare debeat.

Dico 2. In gravi necessitate proximi tenetur sub mortali

tali illi subvenire de aliquo modo necessariis statui. Sic exprimo Conclusionem; quia minor est obligatio in necessitate gravi, quam in extrema, & ideo minus tribuendum de necessariis statui. Est communior. Prob. 1. Ex illo 1. Joann. 3. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit visceres sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Non est verisimile, Apost. loqui de sola extrema necessitate, verè dicitur habere substantiam hujus mundi: ergo. 1. Charitas exigit, ut proximo gravem necessitatem patienti, ut si v. gr. gravi morbo laboret, frigore acriter affligatur, famæ, vel honoris grave periculum patitur, subveniamus, dum possumus absque gravi nostro incommodo: ergo tenemur illi subvenire de aliquo modo necessariis statui, id enim non est grave incommodum, quippe quòd facile resarciri potest.

Dices: S. Th. hic art. 5. agnoscit tantum duos casus, in quibus urget præceptum eleemosynæ, scilicet, cum est superfluum ex parte dantis, & extrema necessitas ex parte recipientis: ergo. R. per necessitatem extremam S. Th. ibi intelligere etiam gravem, ut patet ex Resp. ad 3. ubi dicit, præceptum eleemosynæ urget, cum quis habet superflua, & cum apparet evidens & urgens necessitas. Evidentia autem & urgens necessitas est, non solum extrema, sed etiam gravis.

Inferes: ergo, quando S. Th. art. 7. ad 3. dicit, licitum esse in extrema necessitate surripere alienum, intelligendum erit etiam de gravi; sicut licitum erit in gravi necessitate surripere alienum, quod est damnatum ab Innocentio XI. R. N. Illationem. Quamvis enim S. Th. per necessitatem extremam aliquando intelligat gravem, etiam aliquando intelligit strictè extremam, quod est æstimandum ex adjunctis & subjecta materia.

Ex hac Conclusionem inferes, quemlibet teneri a fortiori sub peccato mortali in gravi necessitate proximi, illi facere eleemosynam ex superfluo statui; quod non puto a quoquam posse negari, & quod confirmabitur ex seq. Conclusionem. Observandum autem, tam in gravi, quam in extrema necessitate, omnes divites, qui illam norunt, teneri in solidum ad eleemosynam faciendam; ita ut, si nullus subveniat, omnes peccent mortaliter: uno tamen subveniente, ceteri eximuntur. Non tenentur verò inquire de necessitate, nisi sit Pastor, vel Episcopus, aut alter pauperum curam habens; aut nisi sit justa ratio suspicandi esse gravem necessitatem in familia, quæ, propter verendum & honestatem, non audeat suas miseras explicare. Neque etiam ut plurimum est gravis obligatio dandi eleemosynam pauperibus publicè expositis, qui vel ex nuditate, vel morbo, vel defectu membrorum, vel aliter, gravem, aut extremam necessitatem ostendant; quia illa signa ordinariè exaggerantur, si non omnino fingantur.

Dico 4. In necessitate communi quilibet tenetur aliquando pro loco & tempore facere eleemosynam de superfluo statui. Attende ad terminos Conclusionis. Dicitur, Aliquando, pro loco & tempore; quia dives, habens superflua, non tenetur semper & omnibus pauperibus occurrentibus dare, neque huic determinatè, sed aliquando modo uni, modo alteri, prout prudens judicaverit. Dicitur De superfluo, & non superflua statui; quia non tenetur statim omnia superflua statui dare in communi necessitate, sed potest reservare, vel in alios pios usus, vel ad augendum rationabiliter statum, aliasve possessiones acquirendas, vel etiam pro majori necessitate pauperum, aut Reipublicæ.

Conclusio sic intellecta videtur nunc communis, præsertim post damnatam hanc propositionem ab Innocentio XI. *Vix in secularibus*, &c. ut supra Notamine 3. ita ut, qui nunquam faceret eleemosynam, aut proponeret nunquam facere de superfluo statui in communibus necessitatibus, non videatur excusandus a peccato mortali. Hancock, arbitrator, esse expressam sententiam Auctoris in pluribus locis, quidquid opponant aliqui. In primis quodlib. 8. art. 12. Si, inquit, signa extreme necessitatis non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti (huic scilicet determinato) quia, quamvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, neque huic dare, sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum. Quod est ferè in terminis ipsa nostra conclusio. Infra q. 66. a. 7. o. Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi. In 4. D. 15. q. 2. a. 1. q. 4. ad 4. dicit, præceptum eleemosynæ obligare ex parte dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget, neque ad sustentationem vitam sui & suorum, neque ad decentem statum sui

conservationem, etsi pauperes extreme necessitatis (intellige etiam gravis) non compareant. Et a. 4. quæstio. 1. in fine corporis: Illud, quod necessarium reputatur ad aliquid, quod est ultra decentem statum, debet in eleemosynam dispensari, & hoc cadit sub præcepto. Quid expressius? Que opponuntur, dilucuntur intra.

Prob. itaque Conclusio 1. ex locis Scripturæ jam cit. & aliis. 1. Joann. 3. Qui habuerit substantiam hujus mundi &c. ut supra Concl. præced. Luc. 3. Qui habet duas tunicas, det non habenti. Dicit simpliciter non habenti, ut significet non esse expectandum extremè, aut graviter indigentem, sed dandum esse simpliciter egenti, atque ibi contineri præceptum, & non tantum consilium, ostendimus Concl. 2. Matth. 6. Nemo potest duobus Dominis servire... non potest Deo servire & mammonæ: Servire autem mammonæ, juxta Hieron. & Chrysost. in hunc locum, est servare opes superfluas, & illas, honesta occasione data, nolle a se divelli: & hic est casus præsens. Deut. 6. Præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi; in communi autem necessitate sunt egeni 1. Tim. 5. Divitibus hujus sæculi præcipue facile tribuere & communicare. Non autem facile tribuerent, qui expectarent gravem, aut extremam necessitatem proximi. Confer alia loca in 1. Concl. cit.

Prob. 2. ex Patribus. Chrysost. hom. 34. ad Populum: Tuarum, inquit, es o homo distributor pecuniarum... non ad hoc accepisti, ut in deliciis absumeres, sed ut in eleemosynas erogares... res pauperum tibi sunt credita, sive ex laboribus justis, sive ex hereditate paterna possideas. Basil. Sermon. 1. contra divites avaros, ad hæc verba Luc. 3. Destruam horrea mea: An injustus esse dicitur iniquitatis res nobis distribuere, ut tu abundes, ille verò mendicet; nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ bravus condecoreris... Est panis famelicis, quem tu tenes, nudus est vestis, quam in arca custodis, &c. Aug. in Ps. 147. Superflua divitum necessaria sunt pauperum: res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. Et serm. 219. de Temp. Quidquid Deus, plusquam opus est, dederit non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmissit. Plures alios omitto, brevitas causa.

Prob. 3. Ratione. 1. Quisque tenetur ex charitate diligere proximum sicut seipsum; atqui non diligit proximum sicut seipsum, qui magis diligit sibi superflua, quam fratri necessaria ad sublevandam ejus necessitatem: ergo. 2. Quamvis singule necessitates communes non sint ita quid grave, ut hanc, vel illam prætereire sit peccatum, attamen multe occurrentes in aliqua civitate efficiunt notabile gravamen & gravem miseriam, quam divites debent singuli pro aliqua parte sublevare: ergo, quamvis non sit præceptum dare singulis, huic, vel illi eleemosynam, est tamen præceptum aliquando dare pro loco & tempore. 3. Si nullus dives habens absolute superflua teneatur dare eleemosynam in necessitate communi, brevi communis necessitas evadet gravis, & gravis extrema: ergo.

Dices 1. S. Th. hic a. 5. duo requirit, ut eleemosyna sit in præcepto, unum ex parte dantis, quod habet superfluum, alterum ex parte recipientis, quod sit in extrema necessitate: ergo. R. cum Sylvio, hanc S. Th. Doctrinam intelligendam esse divisim, non copulatim. Ponit ergo S. Th. duos casus, in quibus urget præceptum eleemosynæ: Primum, quando ex parte dantis est absolute superfluum, quo casu tenetur dare eleemosynam quacumque necessitatem patienti. Alterum ex parte recipientis, quando est in extrema necessitate, vel etiam gravi, ut explicuimus, quo casu urget obligatio faciendi eleemosynam, etiam si non sint superflua statui, sed vitæ tantum. Hunc sensum indicat S. Doctor in fine art. dicendo: Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate, est scilicet etiam in præcepto: alias autem dare eleemosynas, id est extra hos duos casus, est in consilio. Et adhuc clarior infra q. 118. a. 4. ad 2. Ubi dicit, quod Aliquis tenetur ex debito legali sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel propter superfluitatem habituum.

Inst. S. Th. ibid. dicit, quod non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa, sine qua is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest: ergo censet, divites non obligari ad eleemosynam in necessitate communi. R. cum eodem Sylvio, sensum esse, quod non omnis necessitas obliget ad faciendam eleemosynam hic & nunc huic particulari determinatè; licet obliget ad faciendam aliquando illi, vel alteri. Vel sensus est, quod, si ex duobus predictis casibus consideretur tantum posterior, scilicet necessitatis, non obligat præceptum Eleemosynæ in quacumque

necessitate, sed tantum in extrema, vel gravi; licet possit obligare ex alio capite, si nempe sit superfluum. Ceterum non videtur locus dubitandi de mente S. Doctoris post expressos ejus textus, quos inter probationes retulimus.

Dices 2. Ex sententia nostra sequitur 1. Quòd divites, qui superflua retinent, continuò peccent. 2. Quòd non possint ditiores fieri, & ascendere ad statum altiore, quod nemo admittit. R. ad 1. N. Sequelam; quia non dicimus, divites debere statim omnia superflua dare in necessitatibus communibus, sed aliqua tantum ex superfluis, hinc, & inde pro loco & tempore. Ad 2. N. pariter Sequelam: quia modicæ eleemosynæ ex superfluis non impediunt ascensum ad altiore statum, & pertinent ad decentem præsentis statum.

ARTICULUS III.

Varie Questiones circa Eleemosynam breviter resolvuntur.

Pætes 1. Utrum quis satisfaciat præcepto Eleemosynæ, pauperi mutando, commodando, aut vendendo credito? Antè Responsionem nota, aliquem posse esse dupliciter pauperem; simpliciter, & secundum quid. Voco pauperem simpliciter, qui neque actu hic, aut alibi habet bona, neque est in potentia propinqua, ut habeat; pauperem secundum quid, qui licet non habeat hic bona, quibus jvari nunc possit, habet tamen alibi, aut est in potentia propinqua, ut habeat, sive per artem & industriam, sive per spectatam hereditatem. R. 1. Non satisfacit præcepto eleemosynæ subveniendo illi, qui simpliciter est pauper, mutando, commodando, aut vendendo credito.

Prob. 1. Quia certum est, eleemosynam esse in præcepto; atqui mutare, commodare, vendere credito, non est facere eleemosynam; eleemosyna enim gratis datur; neque, qui petunt mutuum, commodatum, aut emunt credito, dicuntur petere eleemosynam: ergo. 2. Inhumanum & ridiculum foret dare pauperi, qui nihil, neque in re, neque in spe habet, sub conditione restituendi in posterum: ergo. Intellige de rebus, in quantum sunt necessariae ad subveniendum necessitati simpliciter pauperum. Unde, si sint res us consumptibiles, ut sunt panis, vinum, cerevisia, pecunia, &c. non sunt restituende, transacta necessitate. Secus, si non sunt consumptibiles, ut si concedatur equus ad fugam, transacta necessitate, debet restitui equus, nisi forte in fuga pereat. Si tamen ipsa rei substantia usu non consumptibilis esset necessaria pauperi simpliciter, ut si extremè, vel graviter indigenti, non habeas, quo illi succurras, nisi vestem tibi, & tuis non necessariam, qua vendita, possit sibi subvenire, non tenetur reddere. R. 2. Satisfacit præcepto eleemosynæ subveniendo pauperi secundum quid, mutando, commodando, aut vendendo credito. Quia pauper secundum quid non est verè pauper, & presentis necessitas tollitur ipsi mutando, commodando, aut vendendo credito. Intellige de majoribus eleemosynis; nam de minutis insolitum est, & inhumanum foret obligare mendicantes ad restitutionem.

Dices contra 1. Resp. Dives solum tenetur subvenire necessitati pauperum; atqui par mutuum, commodatum, aut venditionem credito, subveniunt pauperum necessitati: ergo. R. divitem teneri subvenire necessitati pauperum juxta naturam præcepti eleemosynæ; præceptum autem eleemosynæ est, ut subveniantur pauperi gratis, & sine ejus gravamine. Nec refert, quòd per mutuum, &c. obtineatur huic præcepti eleemosynæ, ut enim satisfacit præcepto, non sufficit, quòd ejus finis obtineatur, sed debent adhiberi media, quæ in ipso continentur. Sic, si quis sine Sacramento Pœnitentiæ obtineret remissionem peccatorum, tæteretur tamen illud suscipere; si sine jejuniæ carne mortificaretur, non idè eximeretur a præcepto jejunii.

Pætes 2. Utrum possit fieri eleemosyna de illicite acquisitis. R. (Hic a. 7. o.) aliquid posse esse illicite acquisitum tripliciter. Uno modo, quando id, quod acquiritur, debetur ei, a quo accipitur, sicut in furto, & rapina; & de talibus, cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest (In 4. d. 15. q. 2. a. 4. q. 2. ad 2.) nisi forte pauper esset in extrema necessitate, & aliter ipsi succurrere non possit nisi per hæc illicite acquisita; tunc enim omnia sunt communia. Neque responsioni obstat (Hic & 16. ad 1.) quòd Christus Luc. 16. dicat: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Non enim omnes divites dicuntur iniquitatis, quia sunt injustè acquisita; sed quia sunt iniuste secundum usum iniquis, qui in eis spem constituunt; vel secundum Ambros. libr. 17. in Luc. c. ultimo, dicitur Theol. Billuart. Secunda secundæ.

mammona iniquum; quia variis divitiarum illecebris nostros tentat affectus: vel quia in pluribus prædecessoribus; quibus patrimonio successis, aliquis reperitur, qui injustè usurpavit aliena, quamvis tu nescias; vel omnes divitie dicuntur iniquitatis, quia non æquanter sunt omnibus distributæ, uno egente, & alio superabundante.

2. Aliquid est illicite acquisitum; (Art. 7. o.) quia ille, qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, a quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam, seu legem accepit, & alter similiter contra justitiam, & legem dedit, sicut contingit in Simonia, in qua dans, & accipiens contra justitiam legis divinae agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Itaque quidem Auctor hic. Sed intellige eleemosynas, lato sensu acceptas pro erogatione in usus pios; quia infra q. 100. art. 6. ad 4. docet, præteritum simoniacè acceptum esse restituendum Ecclesie, in cuius injuriam datum fuit, nisi Prælati, & totum Collegium sit in culpa; quia tunc cum auctoritate superioris vel pauperibus, vel alicui Ecclesie debet erogari. Vide, quæ dixi de Simonia Diss. 11. a. 7. §. 1. & 2.

3. Modo est aliquid illicite acquisitum, (Ib.) non quidem quia ipsa acquisitio est illicita; sed quia ad, ex quo acquiritur, est illicitum; sicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium; & hoc proprie vocatur turpe lucrum. Quòd enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit contra legem Dei, sed in eo, quod accepit, non injustè agit, nec contra legem. Unde quòd sic iniuste acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri. Hanc materiam fusè disputatam require Diss. 1. de Contract. a. 8. Ubi probavimus, contractum sub conditione futuri operis turpis, purificata conditione, valere, & obligare.

Pætes 3. Quis possit facere eleemosynam? R. per se loquendo, (Ibid. a. 8. o.) is, & solus potest facere eleemosynam, qui habet liberam administrationem suorum bonorum. Pro quo vide Dissert. 2. de Contract. a. 2. §. 2. Ubi expendimus, quis donare possit, & plura resolvimus circa minores, filios familias, uxores, & Religiosos; quæ ad præsentem quæst. pertinent. Confer etiam Dissert. 11. de Justitia a. 5. Adde tantum hic, Religiosum, qui Pastorem, aut aliud Beneficium habet, posse de fructibus sui Beneficii facere eleemosynas, aut illos expendere in alios usus pios, & honestos; quia, licet non habeat dominium, habet tamen liberam administrationem. Titulus enim Beneficii tribuit facultatem disponendi de ejus redditibus in pios, & honestos usus, ita quòd administrator Beneficii sit etiam administrator fructuum. Idem dicendum de Religioso habente Pastorum in suo Monasterio quoad fructus accidentales, qui sibi obveniunt ex æquis, & administratione Sacramentorum: quantum enim ad fructus essentielles, supponuntur incorporati Monasterio.

Pætes 4. Utrum Clerici strictius, quam Laici teneantur ad eleemosynas? R. affirmative, præsertim ex bonis Ecclesiasticis congruè sustentationi superfluis. Pro quo vide supra Diss. 3. de Justitia a. 5. Concl. 4.

Pætes 5. Utrum fictus pauper peccet petendo, & accipiendo eleemosynas, teneaturque illas restituere? R. affirmative. Quia dantes non censentur dare nisi pauperi, & sub ea conditione tacita, quòd sit pauper. Unde hæc donatio est nulla, & receptio factum, juxta Catech. Tridentini 3. p. in 7. præcept. Decalogi n. 7. *Furtum*, inquit, prætereà facere videntur, qui factis simulatque veris, quove fallaci mendacitate pecuniam extorquent; quorum eo gravius est peccatum, quòd furtum mendacium cumulant. Debent ergo restituere veris pauperibus, quia donantes censentur abdicasse harum eleemosynarum dominium in favorem pauperum. Quidam excipiunt minutas, & ordinarias eleemosynas; quia, inquit, præsumitur, has fieri absolute; sed ista præsumptio non videtur nobis satis fundata. Si tamen quis esset verè pauper: sed fingeret se pauperiorem, ut facilis, aut largiorem obtineret eleemosynam, non videtur adstrictus restitutioni; quia est communis opinio, quòd pauperes exaggerent ordinariè suam paupertatem, & id supponunt donantes.

Pætes 6. Utrum, qui præficiunt distributioni eleemosynarum, possit sibi retinere partem, si verè sit pauper? R. affirmative, (Hic a. 9. ad 3.) cum non sit peioris conditionis, quam alii pauperes. Excipie tamen, nisi designati sint pauperes, quibus faciendæ sunt eleemosynæ.

Pætes 7. Utrum Magistratus possint impedire, ne in suis locis pauperes extranei mendicent. R. non posse quoniam omnia impedire; quia plures sunt pauperes, qui e suis locis natalibus exulare coguntur; sive sententia iudicis, sive quia ibi habent inimicos, aut dedecus passi sunt.

ant, sive quia urbes, & pagi, vel incursione hostium, vel incendio sunt devastati: & hi tamē debent vivere. Unde autē vivunt, si ab omnibus expellantur?

Petes 8. Utrum facienda sit eleemosyna voluntarie pauperibus, qui si vellent non egerent? R. Faciendam esse iis, qui sunt voluntarie pauperes propter Christum, & ex amore virtutis, sive in Religione, sive extra; quia ob justam causam se ad hunc statum dimitunt, & reperitur in illis objectum misericordiae. Vide Auctorem infra q. 187. a. 3. 4. & 5.

DISSERTATIO VI. DE CORRECTIONE FRATERNA.

D. Thom. Q. 33.

Quamvis, si verborum vis attendatur, differant correctio, & correctio; correctio enim est reprehensio ad emendationem fratris; correctio est ipsa emendatio; usu tamē recepto inter Theologos confunduntur, & pro uno, & eodem sumuntur. Duplex est correctio delinquentis. (Hic q. 33. a. 1. o.) Una, quae adhibet remedium peccato, in quantum est quoddam malum ipsius peccantis, & ordinatur ad ejus emendationem, dicitur fraterna. Altera est, quae adhibet remedium peccato, secundum quod est in malum aliorum, & praecipue in nocentium boni communis, & dicitur judicialis. Haec est actus justitiae, cuius est conservare rectitudinem justitiae unius ad alium: Fraterna autem, cum sit eleemosyna spiritualis, est actus elicitus a misericordia, & imperatus a charitate. Neque refert (Hic q. 30. art. 1. ad 1.) quod objectum misericordiae sit miseria, seu malum involuntarium, peccatum autem sit voluntarium; quia sufficit ad objectum misericordiae, quod sit aliquo modo involuntarium. Quamvis autem peccatum sit simpliciter voluntarium, & hac ratione sit potius objectum indignationis, quam misericordiae, pluribus tamē modis est involuntarium, 1. Ratione causae, ut si sit ex ignorantia, qua fit, ut non apprehendatur malitia peccati. 2. Ratione effectus: quia reddit hominem obnoxium damnationi, quod est contra ejus voluntatem. Quia est contra inclinationem rationalem voluntatis. Et haec sufficiunt, ut sit objectum misericordiae.

De correctione judiciali hic non agitur, sed tantum de fraterna, quae definitur potest: *Actus charitatis, & misericordiae, quo per convenientem sermonem, vel aliquid aequivalentis, proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nititur.* Dicitur *actus charitatis, & misericordiae*, quia elicitur a misericordia, & imperatur a charitate, ut dictum est. Dicitur *per convenientem sermonem*, quia magna prudentia opus est ad faciendam correctionem fraternam. Unde Auctor hic q. 33. a. 1. ad 2. dicit esse actum prudentiae exequentis, & dirigentis. Dicitur *vel aliquid aequivalentis*: quia potest etiam fieri signis, vel quocumque modo utili ad removendum proximum a peccato. Dicitur *A malo peccati*: quamvis autem juxta verba Christi: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. infra referenda, correctio proprie respiciat peccatum commissum; conveniunt tamē omnes, pariter obligationem esse impediendi peccatum futurum imminens, quia est pariter eleemosyna spiritualis; & sive dicatur correctio, sive monitio, sive instructio, sive consilium, perinde est. De utroque peccato itaque, tam commissio, quam committendo, procedit questio.

ARTICULUS I.

Utrum correctio fraterna sit in praecipuo?

Dico: (Hic q. 33. a. 2. o.) Correctio fraterna est in praecipuo naturali, & divino positivo, ita ut omni tempore, etiam ante legem, obligaverit. Prob. 1. ex Scriptura. Gal. 6. dicitur: *Et si praecipuus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans se ipsum: ne & inteneris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*: ergo praecipuum legis Christi est corrigere peccatorem. 2. Thessal. 3. *Nolite quasi inimicum existimare (scilicet peccatorem), sed corrigite ut fratrem.* Sed praesertim Christus Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripue eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* In hoc textu, qui praeci-

& opus. contra impugnantem Religionem. Iis verò, qui sunt voluntarie pauperes ex ignavia, amore otii, & cupiditate lucri, non est faciendae eleemosyna; tum quia illis non licet mendicare; tum quia esset eorum ignaviam, & cupiditatem fovere. Non est tamē curiosius inquirendum in conditiones pauperum, non fortē veri pauperes praeferantur. Plures sunt enim, qui ex verecundia se pauperes declarare non audent: minus autem est incommodi dare non indigenti, quam denegare indigenti.

puus est, duo pariunt difficultatem. 1. Quod videatur pertinere ad Christianos tantum, quia dicitur *Frater*; & postea, *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, quae intelligi non possunt de non Christianis.* 2. Quod videatur spectare tantum peccata contra nos commissam; quia dicitur, *si peccaverit in te frater tuus.* Ad 1. Equidem Christus expressè tantum loquitur de Christianis, non ut excludat alios, ut patet ex ratione, quam subiungit de lucrando fratre, & ex praecipuo naturali, quo tenemur omnes peccatores corripere, ubi est spes emendae, ut mox dicemus; sed quia volebat assignare ordinem correctionis fraternae, qui non potest ita bene servari inter Ethnicos, & quia rarus est casus obligationis circa illos, cum sit rarior spes emendae, antequam fidem susceperint. Ad 2. Quidam interpretantur *in te*, id est, *te sciente*; quia, qui peccat coram nobis, aut nobis scientibus, nos quasi testes, & approbatores sui peccati facit, & quantum est ex conditione actus scandalum nobis praebet. Ita Auctor quodlib. 11. a. 12. interpretatur cum Aug. Alii sensu magis literali, & proprio interpretantur *in te*, id est, *contra te*: & patet ex eo, quod subiungit S. Petrus: *Domine quoties peccavit in me frater meus, & dimittam ei?* Idque importat proprietates locationis; peccare enim in aliquem est contra ipsum peccare. Ita etiam interpretatur S. Thom. q. Disput. de correptione. fraterna a. 2. ad 1. & hujus q. a. 7. post Chrysost. Hieron. Ambros. & Aug. Neque inde sequitur, quod sola peccata contra nos commissam cadant sub praecipuo correctionis fraternae, propter paritatem rationis, quam assert Christus; non enim jubet nos corrigere fratrem, qui peccavit contra nos, sed quia peccando se perdit. Unde dicit: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Per quodcumque verò peccatum, sive sit contra nos, sive non, peccator se perdit. 2. A minori ad majus. Si enim debeam hoc correctionis beneficium impendere peccati contra me, a fortiori illi, qui me non offendi.

Prob. 2. ex Patribus (Ibid. in a. s. c.) Aug. serm. 16. de verbis Dom. *Si, inquit, neglexeris corrigere, peior eo factus es qui peccavit*; sed hoc non esset, si per hujusmodi omissionem, seu negligentiam aliquid praecipuum non transgredereetur. Idem Ambros. l. 8. in Luc. Chrysost. & Hieron. in Matth. Basilium in Regulis Brevioribus ad interrog. 47. & alii.

Prob. 3. Ratione 1. Praecipuo naturali tenemur subvenire proximo corporaliter indigenti: ergo a fortiori spiritualiter indigenti. 2. Lege naturae tenemur educere bovem proximi errantem: ergo a fortiori ipsum proximum errantem. 3. Denique tenemur diligere proximum; dilectio autem proximi necessario importat, non solum velle, & praestare ei bonum, sed etiam ab eo avertere malum, cum possumus: ergo.

Dices 1. non tenemur subvenire voluntarie pauperi, qui habet unde sibi subveniat; atqui miseria peccantis est ipsi voluntaria, & potest ipse sibi subvenire; ergo. R. N. Conseq. 1. Quia, qui habet unde sibi corporaliter subveniat, non indiget tuis bonis, ut a miseria corporali liberetur; at peccator, quamvis absolute possit sibi subvenire, non tamen nisi admodum difficile, sive ob illecebras peccati, sive ob inveteratam consuetudinem, sive ob ignorantiam; & ideo indiget tuo subsidio, ut a miseria spirituali, licet voluntaria, sublevetur. 2. Quia Christus non praecipit facere eleemosynam voluntarie pauperibus, sicut praecipit facere correctionem fraternam voluntarie peccantibus. Adde, Majorem non esse universaliter veram; potest enim contingere, ut voluntarie pauperi teneamur ex nostris bonis succurre, ut si v. gr. aliquis vita evidenter

pe-

periclitaretur, & ipse, licet monitus, non adverteret periculum, nec vellet sibi de medicamine providere, teneamur in hoc casu, etiam de nostris illi subvenire.

Dices 2. Multi sunt notorii peccatores, ut meretrices, usurarii, ebriosi, &c. quos non corrigit: ergo. R. hos & a Pastoribus & a Concionatoribus, & a piis, ac prudentibus viris aliquando corripit, non solum publice, sed etiam privatim. Alii autem non corripiunt; tum quia illis deest sufficiens auctoritas; tum quia in illis nullam apprehendunt spem emendationis.

Dices 3. Nemo potest converti sine gratia Dei; atqui correctio non confert gratiam: ergo est inutilis. R. retorquendo argumentum. (Ibid. ad 1.) Nemo potest converti sine gratia Dei; atqui praedicatio verbi divini non confert gratiam: ergo est inutilis. Dicendum igitur, quod in omnibus bonis agendis operibus, operatio hominis non est efficax, nisi adsit auxilium divinum; & tamē homo debet facere, quod in se est, & quod Deus praecipit, ut faceret, mediante quo confert gratiam secundum suum beneplacitum. Unde Aug. l. de correptione. & grat. c. 15. dicit: *Nescientes, quis pertineat ad Praedestinatorum numerum, & quos non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.* Et ideo debemus omnibus fraternae correctionis beneficium impendere sub spe divini auxilii. Quaedam obijciuntur ex veteri Testamento, quibus videtur improbari correctio peccatorum; sed intelliguntur de peccatoribus, in quibus non erat spes emendae.

ARTICULUS II.

Quae conditiones requiruntur, ut praecipuum correctionis fraternae obliget?

Cum praecipuum correctionis fraternae sit affirmativum non obligat pro semper, sed in certis circumstantiis, & positis quibusdam conditionibus. Quae autem sint illae conditiones & circumstantiae?

Dico: Ut praecipuum correctionis fraternae obliget, requiruntur 1. Materia sufficiens, nimirum quod peccatum commissum, vel committendum sit per se loquendo mortale. 2. Requiritur certa ejus notitia. 3. Spes emendationis. 4. Necessitas correctionis. Probantur, & explicantur istae conditiones.

Materia sufficiens.

Solum peccatum mortale, & non veniale, esse per se materiam sufficientem, & propriam correctionis fraternae, constat 1. ex verbis ipsi Christi Matth. 18. ubi in explicatione hujus praecipii dicit: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: ergo perierat. Unde Aug. serm. 16. c. 3. de verbis Dom. *Si, inquit, te ille, in quem peccasti, corripuerit, & audieris illum, lucratus est te. Quid est lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam, si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo autem perit quoad vitam spirituales, nisi per peccatum mortale.* Addit Christus, quod, si corripientem non audiat, adhibendi sunt testes, deinde denuntiandus sit Ecclesiae, & habendus ut Ethnicus & Publicanus; certum autem videtur, haec non praecipii de peccatis venialibus, quae quotidiana sunt, & in ipsis justis reperimur. 2. Cum omnis correctio sit onerosa corripienti, & odiosa correptione, & peccata venialia sint frequentissima, si urgeret obligatio ea corrigendi, onus foret importabile tam corripientibus, quam corripendis, & neque pax, neque tranquillitas, inter homines servari posset.

Dices: Peccatum veniale est gravius malum, quam quaevis miseria temporalis; atqui tenemur subvenire proximo miseriam temporalem patienti: ergo & peccanti venialiter. R. N. Conseq. 1. Quia obligatio correctionis non est aestimanda ex sola gravitate mali; sed etiam ex ipsius correctionis necessitate: non videtur autem necessaria ad emendationem peccati venialis, quod est voluntarium, & a quo quilibet facile liberari potest; secus de miseria corporali. 2. Nullum est inconveniens, quod succurrat culbet miseriae corporali proximi, id enim est semper illi gratum, secus de correptione fraterna, quae est corrigendo odiosa.

Dixi: *per se loquendo*; quia per accidens peccata venialia possunt esse materia necessaria correctionis fraternae; ut si ex his sequeretur scandalum, perturbatio tranquillitatis in communitate, periculum proximum peccandi mortaliter, aut detrimentum disciplinae Regularis. Unde tenentur Superiores in Religione sub mortali corrigere

venialia, imò & transgressiones Regularum obligantium tantum sub poena, quando vident, quod ex impunitate & licentia peccandi venialiter, aut transgrediendi Regulas, disciplina Regularis notabile detrimentum patiatur. Idem, proportione servata, dicendum est de aliis Superioribus respectu suorum subditorum: non quod existimemus peccare mortaliter, si aliquoties, secluso scandalo, dissimulent defectum veniale in subditis; sed, si sint in iis corripiendis graviter negligentis.

Circa peccata ignorantiae.

De quibus est specialis difficultas, sequentes resolutiones accipe. 1. Peccata omnia ex ignorantia vincibili cujuscumque Juris, aut facti, cadunt sub praecipuum correctionis fraternae; quia sunt verè peccata. 2. Peccata commissa ex ignorantia invincibili cujuscumque Juris, aut facti non cadunt sub praecipuum correctionis fraternae; quia non sunt peccata, saltem formaliter. Excipe, nisi ex eis sequatur grave scandalum, aut detrimentum proximi, quod correptione possit impediri. 3. Peccata autem committenda ex ignorantia vincibili Juris naturalis & divini positivi, aut facti contra ista Jura, cadunt sub praecipuum correctionis, aut monitionis, si sit spes emendae, & non sit periculum majoris mali; quia talis ignorantia, quamvis inculpa, est grande malum, & turpis error, quem quisque vellet a se depelli. Insuper quae committuntur, saltem ex ignorantia vincibili Juris naturae, sunt secundum se mala & peccata materialiter, quamvis committentes propter ignorantiam invincibilem excusentur.

Dixi 1. *Si sit spes emendae, aut non sit periculum majoris mali*; quia, si non sit spes emendae, tunc non solum cessat finis correptionis, sed insuper sequitur gravissimum inconveniens, nempe quod is, quem corripis, aut mones, peccabit formaliter, cum antea peccaret tantum materialiter; & quod monitus damnetur, qui non monitus parisset salvari. Quod si sit spes emendae, sed jure timeatur graviora inconvenientia, quam sit peccatum mortale impediendum, debet etiam omitti correctio, seu instructio; quia e duobus malis minus est eligendum. Hinc inferes, quod, dum quis invincibiliter ignorat, se esse invalide matrimonio junctum, si non sit spes, quod monitus recedat ab uxore putativa, aut si discedat, sequentur gravis inconvenientia & scandala, puta, odia capitalia, rixae diuturnae, incontinentia, honestae familiae & prolium diffamatio, relinquendus sit in bona fide. Quod si agatur de matrimonio contrahendo, attendendum est ad irreverentiam Sacramenti, & ad mala, quae nata sunt sequi ex matrimonio invalido, si proximus non moneatur: & haec conferenda sunt cum inconvenientibus, quae praevidentur securura, si moneatur; & quod minus videbitur, est eligendum monendo, vel tacendo. Regulariter, dum agitur de actu futuro, re adhuc integra manente, minora mala sequuntur, si moneatur, quam si non moneatur. Unde regulariter in hoc casu monendus est proximus. Confer, quae fuisi dixi circa hanc materiam in Tract. de Actibus humanis Dissert. 5. art. 4.

Dixi 2. *Ex ignorantia invincibili Juris naturalis, aut divini positivi, seu facti contra illa Jura*; quia, quoad ignorantiam invincibilem legis humanae aut facti contra illam nemo privatus tenetur, saltem sub mortali, hanc ignorantiam tollere, seclusis scandalo, irreverentia Dei & Religionis, & damno tertii. Quia, quae sunt contra legem humanam, non sunt per se mala, sicut ea, quae sunt contra legem naturalem; nec tantum momenti, sicut ea, quae sunt contra legem divinam positivam. Hinc non tenentur, saltem sub mortali, monere omnitemper inculpatè horas, aut Messam in die festo, & similia. Secus, si quis cum scandalo manducaret carnes in die jejunii, aut laboraret serviliter in die festo. Item, si Sacerdos ex inadvertentia accideret ad altare sine alba, aut casulla, propter reverentiam debitam sacro Ministerio. In dubio autem, an hujusmodi ignorantia sit culpabilis, vel inculpabilis; videtur, quod liceat dubium in meliorem partem interpretari.

Notitia peccati.

Ad hoc ut quis teneatur corrigere proximum, debet habere notitiam moraliter certam peccati commissi, vel committendi. Unde non sufficit dubium, suspicio, timor, scrupulus, aut rumor; quia, cum correctio pudorem ingerat, & sit correptione odiosa, justè conquereretur, si argueretur de peccato, quod non constat; & saepe imprudentes

cor-